

CCXXXVII.

Anno 1721. die 20. Maji. In castro Laxenburg.

Carolus III. Rex mandat, ut Status Croatiae unam alteramve legionem militum aestivis mensibus sustentent, vel 50.000 florenos hoc nomine solvant.

CAROLUS VI. DEI gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae Bohemiaeque &c. REX.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item & Egregij, nec non Prudentes et Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Aliunde Fidelitatibus Vestris apprimè constare non ambigimus, quantis quamve amplis, iisque inevitabilibus Aerarium nostrum Caesareo-Regium, post Bella tam diuturna, eaque gravissima, retroactis Annis et temporibus confecta, prematur & obnoxietur Ero-gationibus, adeo quidem, ut ejusmodi oneri ulterius ferendo, nisi omnia omnino Haereditaria Regna et Provinciae nostrae in Subsidium aequa proportionè concursurae attrahantur, impar plane et insufficiens esse censeatur; Interim tamen absque Milite conservato et debite soluto publicae securitati, et communi omnium bono ac quieti prospectum satis non sit. Hinc Nos hujusmodi motivis et circumstantijs permoti, ac indispensabilis necessitatis ratione inducti, in praefatum quoque istud Regnum nostrum Croatiae partem antelati oneris etsi minimam derivandam et extendendam esse, cumque in finem, unam alteramve Legionem nostram, a prima currentis Mensis Maji Die, qua illis huc movendum erat, in aestivis Mensibus, secundum benigni Regulamenti in memorato Regno nostro Hungariae pro praeterito hyberno-publicati tenorem et normam, in gremio prae-libali hujus Regni nostri Croatiae dislocandam & sustentandam, vel in vicem seu locum ejusmodi alimentationis in parato aere Quinquaginta Mille Florenos (optione alternativa eatenus Fidelitatibus Vestris ad promte ac fideliter exequendum benigne relicta) dinumerandos et solvendos esse, clementer Statuimus atque ordinavimus. Quo vero ipsum hocce onus ulteriori lenimento temperatum miserae Plebi levius accadat, clementer resolvimus, ut uterque Generalatus Varasdinensis et Carlostadiensis, Cameralia item Bona nostra, intra limites praefati hujus Regni nostri sita, occasione ibidem fiendae praefatarum Legionum nostrarum Dislocationis, vel loco Ejus, ut praemissum est, parati aeris fiendae praestationis, habita aequitatis proportionè, in oneris partem veniant.

Eapropter Fidelitatibus Vestris harum serie benigne simul et firmiter committimus et mandamus, quatenus acceptis praesentibus, intellectaque benigna in praemissis Dispositione atque ordinatione nostra, super antelatarum Legionum